





S. VIII. 33.

Exeqviarum celebrationem

Matronæ

Natalium præstantiâ omnibusq́; Christianarum virtutum ornamentis celeberrimæ ac laudatissimæ

ANNÆ JUNGIÆ,

VIRI

Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi,

Dn. JOHANNIS Dreyers/

Regiæ Mtis & Coronæ Svecicæ Auditoris Generalis, Archidicasteriorum Pomeranicorum Advocati & Reip. Stetinensis Senatoris dignissimi; Conjugis desideratissimæ;

Quæ

Nata annô Christi 1582. 29. Octobr. intra 7. & 8. matutinam; denata 19. Julij intra 9. & 10. antemerid. annô 1636. ætatis suæ 54. hodie 21. Julij in æde Marianâ, quæ Stetini est, adhibitis apud Christianos solitis cærimonijs, communi omnium matri terræ restituetur;

freqventi comitatu cohonestare jubet

Omnes & singulos in Ducal. Pædag. Stet. Stud. Juvenes,

M. Martinus Leuschnerus ibidem Rector.

STETINI, Literis GEORGII GOETSCHII.

1. Corinth. 15. v. 43.

Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate: seminatur in ignominia, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in potentia: seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale.

HOminis verè fidelis, qvi miſſis terrenis hisce & evaneſcentibus mundi qvisqvilijs, ea, qvæ ſurſum ſunt, unicè ſpectat, qvæ ſors qvævè conditio per omnem hanc vitam ſit, Regius Pſaltes David Pſalm. 125. ſumptâ ab ærumnoſis agricolarum laboribus comparatione, eaq; ad afflictiſſimum gentis Judaicæ ſub graviſſimo Captivitatis Babylonicæ jugô gementis ac qviritantis ſtatum accommodatâ, graphicè depingit, qvando inqvit: *Qvi ſeminãt in lacrymis, in exultatione metẽt. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua; venientes autẽ venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Qvæ ſcilicet agricolarum ſors, qvæ ærumnarũ, dum agrum colunt, perpeſſio, eadem & Chriſtianos, ſi non major ac deploratior, qvoad mortali huic vitæ immorantur, exercet, nec concinnius qvid ac vero magis conſentaneum dixeris, qvàm ſi veri Chriſtiani vitam cum agriculturâ contuleris. Qvemadmodũ enim agricolæ, præterqvam qvòd, ceu hominum abjectiſſimi, omnium contemtui & ludibrijs ſunt expoſiti, innumeris laboribus atq; ærumnis qvotidie premuntur, &, anteqvam exoptatæ meſſis ſpes affulgeat, nunc agros proſcindere, nunc reſcindere, nunc occare, nunc tertiare, nunc deniq; ſemina, qvæ non ſine multis ſudoribus & impendijs parta ſunt, credulâ ſpe, & cæcâ qvadam futuræ meſſis expectatione ſulcis credere, inductisq; occis terrâ obruere & qvaſi ſepelire coguntur, plurimas interim cœli injurias, intolerandãq; imbrium, procellarum aliarumq; tempeſtatum ſævitiem patientes: eodem etiam modô veri Chriſtiani, qvi improbo huic mũdo & ſacra omnia faſtidienti mera καθάρματα videntur, dum divini verbi ſementem facturi futuræ meſſi, qvam

beatiſſima vitæ cœleſtis adeptio pollicetur, ſtudioſè operantur, qvæ non patiuntur? ab ineunte ætate usq; ad extremum vitæ halitum cum perpetuâ & qvaſi concathenatâ malorum ſerie colluctantur: in lacrymis naſcuntur ac educantur, in lacrymis vitam tranſigunt omnem, in lacrymis deniq;, animā Deo reddentes, corpus exutum in terræ pulvere deponunt: nunc frigore, nunc æſtu, nunc curarum laborumq; mole premuntur: accedit interior carnis imbecillitas ac perpetua contra Cacodæmonū inſultus ac tentationes pugna; accedunt extrinſecus fames, morbi, bellorum pericula atq; clades, variæ perſecutiones, dira malevolorum odia; accedit deniq; ultima illa malorum clauſula mors, qva corpora animis orba, ceu ſemina qvædam terræ inſperguntur & computreſcunt. Unde tot vitæ humanæ cum rebus ærumnoſiſſimis & maximè fragilibus, cum in divini verbi pandectis, tum in profanis ſcriptoribus comparationes. Notabilis præ cæteris eſt Græcus ille verſiculus, in qvâ vita humana dicitur:

Χνοῦς, σκιὰ, φάσμα, δρόσος, πνοὴ, πτερὸν, ἀτμὶς, ὄνειρος,
Οἶδμα, ῥόος, νηὸς, ἴχνιον, ἄυρα κόνις.

Qvemadmodum verò agricolæ corporales, lacrymis qvidem ac ſuſpirijs, dum laborioſam ſuam ſementem faciunt, non parcunt: ærumnas tamen ſuas futuræ meſſis ſpe ſolantes, omnium virium niſu pergunt nec ab opere ſuo recedunt priùs, qvâm ſeminibus ſuis terræ creditis, ſationem abſolverunt: ſimili etiam modô ſpirituales agricolæ, ab omnibus hujus vitæ ærumnis invictos ſe præſtantes, nobiliſſimumq; verbi divini ſemen animis ſuis incluſum tenentes, fremente orbe & orcô, procelloſaq; & caliginosâ urgentium malorum nube omnia obtenebrante, ſtrenui procedunt, variarum Chriſtianarum virtutum ac bonorum operum ſementem faciunt, tandemq; corpora, animabus

mabus in manum DEI commendatis, in terram, ceu fœcundum qvoddam ſemen, abjiciunt, certò ſperantes, fore, ut inſtante univerſalis reſurrectionis meſſe, multiplici cũ fœnore illa recipiant, non ampliùs imbecilla ac fragilia, ſed ſpiritualia ac immortalia, qvæ in poſterum nulla mortalitatis ac infirmitatis lues arrodere valeat. Nec inefficax hoc ſolatij genus eſt ad abſtergendam qvamcunq; miſeriarum & calamitatum illuviem, cùm nullius hominis mens aſſeqvi, nulla lingva enunciare valeat, qvanta gaudia futura ſint, qvando olim, receptis in magnâ illa ac beatâ meſſe corporibus noſtris, ijsq; glorificatis ac ſpiritualibus, venientes veniemus cum exultatione & tripudio portantes manipulos noſtros. Erigunt ſanè hac ſpe & qvaſi ſuffulciunt animas ſuas omnes afflicti Chriſtiani, hoc præſertim exulceratiſſimô & funeſtiſſimô ſeculô, qvo exitialibus bellorum flammis, univerſa non modo Germania, ſed Europa etiam conflagrat, omniaq; in Chriſtiani ſangvinis exitium conjuraſſe videntur. Dum enim, non ſine ingenti cordoliô, hic nihil ſibi tutum relinqvi, ſingulisq; ferme horarum momentis non ſolùm bonorum omnium, ſed vitæ etiã jacturam eſſe metuendam vident, omnibus vaniſſimi hujus mundi ludibrijs valedicentes, meſſe illâ lætiſſimâ, qvam olim futuram ſciunt, ſe mæroresque ſuos ſolantur, certoq; credunt, fore aliqvando, ut vivi ſuis egreſſi monimentis, venientes veniant cum exultatione æterni gaudij ac bonorum cœleſtium manipulos portantes. Eadem etiam hac ſpe, honeſtiſſima ac omni Chriſtianarum virtutum ornamentis præſtantiſſima matrona *Anna Jungia*, ampliſſimi, Conſultiſſimi & eminentiſſimi *Dn. Johannis Drejeri*, Regiæ Mtis & Coronæ Svec. Auditoris Generalis, Archidicaſteriorum Pomeran. Advocati, & Reipub. Stetinenſis Senatoris meritiſſimi Conjux hactenus

ctenus ſvaviſſima, & omnes hujus vitæ adverſitates piè ſolata eſt, & ultimos mortis terrores, ceu generoſa victrix ſuperavit. Cùm enim & ipſa hactenus ceu ſpiritualis ſeminatrix, inter varias hujus vitæ difficultates & moleſtias laudabilem veræ pietatis ac bonorum operum ſementem feciſſet, ac tandem corpus qvoq; ſuum terræ jam inſerendum eſſe proſpiceret, certiſſima de futurâ hac meſſe ac æternæ vitæ gaudijs, ſingulari qvodam tripudio, animâ DEO redditâ, corpuſculum ſuum exangve & exanime terræ mandandum nobis reliqvit. Cujus ampliſſimis exeqvijs cum hodiernus dies ſit dictus, ut eæ promptiori animô ab omnibus freqvententur, agite, pijſſimam ac laudatiſſimam ejus vitam paucis delineabimus. Natam illam accepimus Stetini, annô Chriſti 1582. 29. Octobr. intra 7. & 8. matutinam, parentibus Chriſtianâ pietate alijsq; virtutibus maximè conſpicuis, patre qvidem honeſtiſſimô ac integerrimo viro, *Dn. Thoma Jungio*, cive ac mercatore Stet. maximè induſtriô; matre autem præſtantiſſimâ matrona *Anna* Blockes/ qvi optimi parentes qvos avos atavosq; qvamq; laudatos majores in utraq; lineâ aſcendente ſortiti fuerint, hîc nihil attinet prolixius dicere. In hujus vitæ ſcenam tam laudabili ſatu progreſſa, in ipſo ſtatim infantiæ limine à carnalis nativitatis ſordibus, ſacratiſſimô illô τῆς παλιγγενεσίας lavacrô abluta, myſtico Chriſti corpori inſerta, atq; hinc per omnem ſubſeqventem ætatem, ſummâ parentum curâ & induſtriâ, pietati omnigenisq; virtutum virginalium exercitijs innutrita & aſſvefacta fuit. Nec ipſa vel curam vel ſpem parentum fefellit, ſed excitata ab intus latitante egregiâ animi indole, tantâ aviditate laudabilia virtutũ præcepta imbibit, ut in tenerâ adhuc ætate egregium virtutum & optimi moris ſpeculum publicè crederetur. Qvare, anno Chriſti 1606. ab


amplis-

amplissimô, Consultissimo & Excellentissimô viro, Dn. Johanne Dreyern/in matrimonium expetita, atq;, accedente parentum & consangvineorum consensu, eidem, totum negotium divini numinis providentiâ regente, paulò pòst solenniter desponsa, & inseqventis anni 14 Sept. die consvetô Copulationis ritu in toro Nuptiali apposita fuit. Qvod ita piè initum matrimonium, cum optimo suo maritô, eximiè tranqvillum, jucundum & fœcundum, in ardentissimâ mutui amoris atq; conjugalis affectus flammâ per 29. annos coluit, ipsumq;, divina benedictione, optatæ liberorum hexadis, 4. nim. filiorum, & 2. filiarum patrem effecit, ex qvibus filius & filia hunc matris in cœlum abitū, suô anteverterunt: reliqvi, Deo sit laus, adhuc in vivis sunt, utq; diutissimè, in amplissimi Dn. patris solatium, & Ecclesiæ atq; Reip. Christianæ emolumentum supersint, animitùs precamur. Vitam ejus cæteram & Christianam conversationem qvod attinet, omnibus bonis notum perspectūq; est, qvod utraq; non solum omni caruerit maculâ, sed laudatissima etiam fuerit. Maritum suum verè cōjugali amoris affectu semper prosecuta, gravissimasq; ejus occupationes & officiorum plurium molestias pijs jucundisq; alloqvijs, qvoties res ita tulit, solata est: divinitus sibi donatam sobolem piè educavit optimisq; imbuit moribus, familiam summâ prudentiâ rexit, proximum suum & egestate inprimis pressum, qvibuscunq; potuit officijs & beneficijs juvit; ab inanibus altercationibus litigijsq; planè abstinuit, & veræ humilitati ac patientiæ studens, ne qvem mortalem læderet, solicitè præcavit. Veræ pietatis præterea & cultus divini studiosissima fuit: Deum Essentiâ unum, personis trinum sincerô pectore coluit, Sacramentorum usum & divini verbi auditum plurimi fecit, pijs precibus ac sacrarum literarum lectionibus deditissima fuit,

inq;

inq; omnibus calamitatibus & vitæ adversitatibus eximiam patientiam Deo præstitit. Paucis; Per omnem vitam ea, qvæ sursum sunt, respiciens, bonam militavit militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Qvare non dubitamus, cùm post diuturniorem morbum, qvi pertinaciâ ac malignitate suâ eam per qvinq; ferme septimanas, elusâ omni preciosissimorum medicamentorum efficaciâ, variè exercuit atq; afflixit, tandem 16. Julij labentis hujus 1636. anni die, postqvam se pijssimè ad beatum ex hac vitâ excessum præparasset, factô animæ cum corpore divortiô, ex hac lacrymarũ valle in cœlum abierit, qvin ipsa jam impositam gestet coronam justiciæ, atq; cœlitum associata concilio, pro momentaneis hujus vitæ afflictionibus æternum gloriæ pondus recipiat. Nos exanimi piè defunctæ corpori olim, qvando lætissima illa universalis Resurrectionis messis appetet, lætissimam, cum omnibus sanctis & Electis Dei filijs, resurrectionem; amplissimæ autem lugenti familiæ efficacem Spiritus Sancti consolationem, omniumq; similium casuum lugubrium aversionem ex animô precamur.

Qvod superest, cùm hora secunda solenni exeqviarum celebrationi sit dicta, omnes & singulos studiosos juvenes, qvi sua nobis dederunt nomina, studiosè exhortamur, ut dictâ horâ in Auditoriô majori conveniant, & Præceptores in funus prodituros decenti comitatu seqvantur. Prop. publ. 21. Julij, Anno 1636.




9 21116 Bibliotheca 105 000
P.P. Camaldulensium in Bielany
Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej

06393
S. VIII. 33

